



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

LXXXI. Vult iterum vngere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70461)

L X X X.

*Semianimis MAGDALENA illa-
crymat sepulcro.*

Cur gemit ad tumulum, ceu consona mortis
imago,
Præmoriente Deo, Magdala prompta mori?
Et piceas auidæ mortis procumbit in vlnas,
Ceu tumuli consors, quo sua vita iacet?
Vult noua mors de morte fluat, de funere funus,
Noxa nouâ noxâ, deq̃ue dolore dolor?
Hæret adhuc certè ceu saxum immobile saxo
Magdalis, & tristi rupe sepulta iacet.
Languet amans; nec Amoris erit reperire medelâ?
Quærit amans; nec erit qui sibi promat opem?
Ardet amans; & adhuc rapidis Amor auolat alis?
Pulsat amans; & adhuc limina furda silent?
Tun' potis ah mi **C H R I S T E** pati tot acerba
doloris?
Tun' potis ah lentæ tædia cruda necis?
Tu mera lux; & adhuc nox Magdalin vmbat,
& error?
Tu via; & errat amans? vita es; & ægra perit?

L X X X I.

Vult iterum ungere.

Quid tibi cum myrrhâ? properas vinctura
sepultum?
Viuit; odoratâ cinnama mitte manu.
Exsequias viuo duxti lacrymosa; secundis
Nil

Nil opus inferiis, mors vbi iussa mori est.
Cur ergo vngendi noua cura recurfat IESVS?
Vis iterum viuos tergere crine pedes?

L X X X I I.

*Speculum purpureum CHRISTI
vulnera.*

IMMEMOR ipsa sui passis in vota lacertis,
Stabat inornatum Magdalis hirta caput.
Vidit Amor stantem sine more, decore, vel auro,
Non ne plus os umbrat, vitta nec vlla comas.
Euge! quid, ô? dixit, sparsis in honora capillis,
Ceu Lothis Solymâ Magdala caute gemis?
Si lubet, excelso speculum tibi subrige saxo,
Formosoque nouum duc licet orbe decus.
Rasile cristallû si quæris; id, auspice CHRISTO,
Erigit in caluo silua cruenta iugo.
Suspiciis aëriæ mortis lacrymabile pignus,
Hic tibi funestæ viuit imago necis.
Vulnera purpureis quot cernis hiantia labris,
Tot roseis speculis pictus inerrat Amor.
Si memor hæc legis ora; tuis inscribet ocellis
Sanguineo radio vulnera viua dolor.

L X X X I I I.

*MAGDALENA lacrymis vult rigare
Crucis surculum insitum cordi B. VIR-
GINIS.*

ARBOR opaca comis, viret arbor opima ra-
cemis,
Quâ Solymos colles frondifer umbrat honos.
CruX